



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

clxii [i.e. vii]. Ubicatio substantiæ spiritualis permanens est indi visibilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

VII. Ubicatio substantiæ spiritualis permanens est indivisibilis ; sicut enim formæ materiales sunt divisibiles, quia educuntur ex subjecto divisibili, sic & forma, quæ educitur ex subjecto indivisibili (qualis est ubicatio V. G. Angeli) erit indivisibilis ; magisq; debet hic modus proportionari subjecto v. g. Angelo, cui est intrinsecus, quam alteri alicui, nempe spatio divisibili, in ordine ad quod tantum explicatur. Imò dato ubicationem dicere verum ordinem ad spatium divisibile, hinc tamen non magis inferetur ejus divisibilitas, quam divisibilitas animæ rationalis ex respectu, quem ea dicit ad corpus extensum, vel etiam quem dicit ad suam ubicationem divisibilem juxta Adversarios. Erit itaq; ubicatio Angeli sicut & ipse Angelus tota in toto spatio, & totaliter in qualibet parte spatii: & licet ubicatio manens eadem non possit transferri de loco in locum, aut defigere rem in diversis locis adæquatis, potest tamen eadem determinare rem ad existendum secundum se totam in pluribus partibus spatii & loci adæquati. Unde anima per abscissionem pedis desinit illi esse præsens per eandem præsentiam, quâ fuerat illi ante præsens (ubicatio enim

enim

enim indivisibilis semper tota mutatur, quoties subjectum ejus recedit ab aliqua parte spatii ante occupatâ ) non verò per aliam.

VIII. Duo corpora quantitativè extensâ (contrarium est de rebus aliis materialibus, formâ V. G. materiali substantiali, formis accidentalibus, albedine, dulcedine &c. quæ cum materia & invicem existunt in eodem loco) naturaliter existere non possunt in eodem loco, ut patet experientiâ. Ratio hujus à priori desumenda est à natura quantitatis, quæ etsi activè non expellat aliud corpus quâ tum ex eodem secum loco, exigit tamen, ut aliud corpus non sit secum in eodem loco, sicut forma una substâ tialis cum altera incôpossibilis illius exigit expulsionem ex subjecto. Potest tamen id fieri supernaturaliter; cum actualis extensio quantitativa & impenetratio non sit de essentia quantitatis, aut ejus effectus formalis primarius (quæ & qui est exigentia hujus impenetrationis) sed tantum secundarius, & connaturalis physica ejus proprietas, ab ea separabilis. Sic olim corpus Christi penetratum fuit cum januis clausis. Sic de facto, cum Christi corpus totum indivisibiliter sit in qualibet hostiæ parte,  
ejus